


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Carfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gailiano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovi - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbettello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Souef, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1

Pretium ann.
doll. 2,
rem, Re

PA

Edictum
instauratio
propositur
cognitione
eius nota
occurrit, c
stiones in
derat, ear

Namqu
debemus:
lem conce
minime s
novamque
per pacen
quillitatene
nuit? Dic
speciem o

Conflict
perdurave
gentes ve
itaque si p
debita et
anxium et
non valui
nem affere
aliquam v
aliqua uti

osso - Arezzo - Ascoli
 Bari - Beneagienna -
 Campiglia Marittima -
 uovo di Carfagnana -
 ittì di Castello - Colle
 - Figline Val d'Arno
 in Chianti - Galicano
 cca - Luserna S. Gio-
 Monteleone Calabro -
 - Oneglia - Orbetello
 tecagnano - Pontedera
 lferno - S. Maria degli
 o - Torre Annunziata
 erbo.

blanch in Hispania -
 eni Mazar, Beni Soueff,
 h, Mit Gamr, Zagazig
 n Syria - Gerusalemme
 Asia Minore - Rodi in

ariae sunt. 

Sociis

a venum dantur,

lium, Milesiae
 ndis. - Singulae

es. - Si tegu-
 lo, lib. 3.

Actiones drama-

fabula. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (fr. 12;
 doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI docto-
 rem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. 

PAX CHRISTIANA

Edictum pacifica per universum orbem
 instauracionis a Benedicto XV sollemniter
 propositum est. Qui clarissima illa temporis
 cognitione, quae singularis documentorum
 eius nota exstitit, nunc pacis argumento
 occurrit, quemadmodum toties belli qua-
 stiones in examen revocaverat, perpen-
 derat, earumque solutiones declaraverat.

Namque haud quidem nos fallere ipsi
 debemus: quam habemus pax, formidabi-
 lem concertationem bello praexistentem
 minime solvit, sed tantum loco movit
 novamque formam ei effinxit. Quid? An
 per pacem hanc genus humanum tran-
 quillitatem ordinis, quae una pax est, obti-
 nuit? Dicam immo ipsius tranquillitatis
 speciem obtinuit?

Conflictatio diutius acriterque nimis
 perduraverat, late nimis in eius partem
 gentes venerant, cupidoque nimis animo;
 itaque si pax novos fines, pactiones novas,
 debita et officia nova adduxit, gentium
 anxium et inquietum animum compescere
 non valuit, atque humanae societati ordi-
 nem afferre, in quo hominibus liberam
 aliquam viam carpere, et fortuna bona
 aliqua uti liceret.

Neque aliter succedere poterat: belli
 enim conclusio haud tantum ad finium
 quaestiones ac materialium bonorum, sed,
 idque maxime, ad animorum quaestio-
 nem attinebat; animorum, inquam, frusta
 lucem consequentium, quae novum tutum-
 que iter demonstraret. Atqui huius lucis
 visionem, Christum, licet in cordibus ful-
 geat innumeris, humanae societas in acti-
 bus suis contumaciter obtegere contendit;
 non itaque mirum si pacem haud redi-
 piscitur, eiusque incoepitis haud blanditur
 fortuna. Opportuna igitur hodie intercidit
 Summi Patris revocatio: qui et hodie,
 quamquam non amplius fuit bellum, invoca-
 t pacem; scilicet non quamlibet pacem,
 sed christianam reconciliationem pacis,
 per quam, velint, nolint, pacis quaestio
 unice solvitur.

* *

Quum autem christiana vitae substan-
 tia et vis in caritate sit, sine qua, post
 tantum discrimen, inter homines con-
 cordia, commoda, ac prae omnibus mutua
 fides redibunt nunquam, fit ut ad eius
 honores erigendos Pontifex in recentibus
 encyclicis litteris suis maxime intendat,
 atque in eius praemiis enucleandis instet,
 quae ipsas corporeas res attingunt. Quae
 quidem caritas dupli ratione manifesta-

tur, et per offensionum veniam, et per beneficia ultro data; quae cuique sponte exercenda sunt. Atqui primus ipse Pater et Magister exercet, in eos qui consciit aut imprudentes Ipsius eiusque magnanima opera conviciis omnis generis sunt persequiti atque persequuntur; nobilissimum ita exemplum constituens, quod utinam omnes imitentur! Nec eloquens minus Benedicti XV vox est, quum bonos omnes invitat ut beneficentiae cuiusvis participes fiant ad recentis belli immensa mala sublevanda: haec enim mala omnia Is cognovit, haec indesinenter est miseratus, hisce pro viribus subvenire sine intermissione conatus est... Qui ploratus eius audivit et nunc audiat; qui in sui unius amore usque nunc perduravit nonne tandem tot lacrimis commovebitur?

Accedat et scriptorum, quotquot sunt publicae utilitatis studiosi, in hunc finem universae caritatis consequendae collatio: abhorreant non solum a falsis vanisque accusationibus, verum etiam a quavis verborum incontinentia et acerbitate, quae dum christiana legi contradicit, nondum obductas cicatrices refricabit; eoque magis quod homines nuperrimis vulneribus exulcerati, vel minimam iam non patiuntur iniuria.

**

Sed a singulorum officiis ad universorum procedendum est; evangelica enim caritatis lex eadem est inter singulos homines atque inter civitates nationesque, quae ex singulorum hominum coniunctione constant. Et quia nationum societas est constituta, haec satagat, ut Christi praeceptorum remedium aegris populis tandem adhibeat. Qui Christi vices gerit in terris, vel cum sui sacrificio, beneficis eius incoepitis operam suam conferet. Neque profecto est dubium quin ex huiusmodi societate, quae reapse nullum adhuc edidit fructum, novam spem bonorum animi suscepturi sint,

quum sciverint Summi Pontificis auctoritatem cum ipsa esse coniunctam. Faxit Deus ut hoc eveniat; tum enim solum affirmari poterit ex immani quinque annorum clade aliquid exortum fuisse, quod universi orbis pacem in posterum valide tutatur.

Quidquid fuerit, certe novum Benedicti XV documentum, quo firmissima elementa novae vitae, per Christum vere hominibus nationibusque pacifcae, sanxit et est auspicatus, tamquam amplissimum Romani Pontificatus beneficium in hominum memoria et ipsum permanebit.

ROMANUS.

S. Hieronymi testimonium de Romano adventu S. Petri Apostoli eiusque episcopatu in Urbe.

Centenaria sollemnia, quae hoc anno in honorem Doctoris Maximi, S. Hieronymi, peraguntur, multa in mentem revocant, quae S. Doctorem intime cum Urbe aeterna colligant. In hac enim alma Urbe non solum scientia imbutus fuit, sed, ut ipse testatur, etiam *Christi vestimenta suscepit*,¹ hoc est per baptismum in Christo fuit regeneratus. Iuvenis in Urbe degens, assidue martyres coluit, quorum memorias in catacumbis crebro et devote invisebat. «Dum essem Romae puer et liberalibus studiis erudirer - ita ille - solebam cum ceteris eiusdem aetatis et propositi, diebus Dominicis, sepulcra apostolorum et martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defossae, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora se-

¹ Epist. 15 ad Damasum. P. L., 22, p. 355.

pultorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: *Descendant ad infernum viventes;*² et raro desuper lumen admissum, horrem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur et caeca nocte circumdat illud Virgilianum proponitur: *Horror ubique animos simul ipsa silentia torrent.*³

Romae pariter occasum gentilitatis vidit et novum solem religionis christiana undique suos radios spargentem perspexit. «Auratum - dicebat - squalet Capitulum. Fuligine et araneorum telis omnia Romae templa cooperta sunt. Movetur Urbs sedibus suis et inundans populus ante delubra semiruta currit ad martyrum tumulos». ⁴ Et iam antea scripserat: «Est quidem ibi (Romae) sancta Ecclesia, sunt trophea apostolorum et martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo praedicata fides, et gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum christianum». ⁵

In hac Urbe plura opera composita; sanctae Marcellae, Paulae, Blaesillae et multis aliis sacras litteras interpretatus est; per aliquod tempus etiam S. Damaso, Summo Pontifici, a secretis fuit; unde postea scribebat: «Ante annos plurimos, quum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae urbis episcopum et Orientis et Occidentis synodis consultationibus responderem». ⁶ Et quamvis etiam quaedam amara Romae expertus fuisse, tamen illi Roma remansit semper «Urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata». ⁷

¹ Psalm. 54, 16.² Aeneid., lib. II.³ In Ezechielim, lib. 12, cap. 40. P. L., 25, p. 375.⁴ Epist. 107. P. L., 22, p. 868.⁵ Epist. 46. P. L., 22, p. 490.⁶ Epist. 123. P. L., 22, p. 1052.⁷ Adversus Iovinianum, lib. 2. P. L., 23, p. 352.

At quod nostra hodie interest, est breviter perpendere testimonium S. Doctoris de adventu S. Petri, principis Apostolorum, Romam, et de eius Romano episcopatu, et sic per occasionem festivitatis principis Apostolorum etiam hanc memoriam, quae S. Hieronymum cum hac Urbe astringit, evocare.

**

S. Hieronymus non solum in studia exegetica et polemica incumbebat, sed etiam studiis historicis operam navabat, immo, ut quidam hodiernus scriptor dicit, maiorem propensionem et proclivitatem habuit, ut munia historici obiret quam scriptoris dogmatici.¹ Sanctus ergo Doctor in suis operibus historicis bis expresse loquitur de adventu S. Petri Romam, et de eius Romano episcopatu. In opere *De viris illustribus*, cap. I, haec habet: «Simon Petrus, filius Ioannis, provinciae Galileae e vico Bethsaida, frater Andreae apostoli et princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochenis ecclesiae et praedicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia, secundo Claudi imperatoris anno, ad expugnandum Simonem magum *Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedralm sacerdotalem tenuit*, usque ad ultimum annum Neronis, id est decimum quartum. A quo est affixus cruci martyrio coronatus et capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis; asserens se indignum qui sic crucifigeretur, ut Dominus suus». ²

Aliud opus, in quo S. Doctor de eadem re loquitur, est *Chronicon Eusebii*, quod ille ex graeco in latinum vertit, et non paucis auxit. Ad annum ergo Christi XLII

¹ BARDENHEWER O., *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, Freiburg, 1912, 3 B. s. 635.² P. L., 23, p. 638.

haec habet: « Petrus apostolus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, *Romam mittitur, ibique Evangelium praedicans XXV annis eiusdem urbis episcopus perseveravit* ».¹

Ad hoc testimonium S. Hieronymi pendendum ante omnia p[re]a mente habendum est, illud esse testimonium quarti exeuntis et quinti ineuntis saeculi, adeoque non esse testimonium primi ordinis; attamen magni in re historica esse momenti, nemo inficiari poterit, qui animadverterit quae sequuntur:

Si enim consideremus, sanctum Doctorem Occidentem et Orientem peragrasse; non solum in Italia et in Gallia fuisse sed etiam Constantinopoli, Antiochiae, Hierosolymis, Alexandriae commoratum esse; cum viris doctis Occidentis et Orientis commercia habuisse; litteras antiquas christianas tum graecas tum latinas necon historiam ecclesiasticam apprime calluisse; tunc eius testimonium de adventu S. Petri Romam necnon de eius Romano episcopatu speciale pro nobis valorem suscipit, saltem quoad substantiam facti. In illo enim testimonio deprehenditur traditio, quae tunc in Ecclesia universalis vigebat; habeturque certitudo, tunc temporis nullum dubium neque in Occidente neque in Oriente de illo facto historico exstisset; omnibus, tum in Ecclesia Romana, tum in Ecclesiis orientalibus, persuasum fuisse, S. Petrum Romam yenisse, ibi Ecclesiam fundasse et illam usque ad mortem rexisse. Et huius facti universalis testis est vir, de cuius scientia et doctrina nemo profecto dubitare potest.

Hoc autem factum totam antecedentem antiquitatem pro fundamento habet; nam retrocedendo a temporibus S. Hieronymi usque ad tempora Apostolorum, hanc universalem traditionem et certitudinem de adventu S. Petri Romam nec non de eius

Romanico episcopatu ubique invenimus tum in Oriente, tum in Occidente. Solum quosdam testes seligemus:

Saeculo iv. Eusebium Caesareensem, patrem historiae ecclesiasticae.²

Saeculo iii. Tertullianum,³ Origenem,⁴

Saeculo ii. S. Irenaeum.⁵ Ignatium Antiochenum.⁶

Saeculo i. Clementem Romanum.⁶

Et sic semper et ubique in tota Ecclesia quatuor primis saeculis habemus testimonia omni exceptione maiora circa rem, de qua agimus; quibus omnibus testimoniis S. Hieronymus sua auctoritate coronam imponit.

**

Restat, ut nonnullas consequentias attendamus, quas S. Hieronymus ex illo facto historico eruebat.

Propter Romanum Petri adventum, propter eius Romanum episcopatum et martyrium ibi passum S. Doctori Romana Ecclesia, ut supra vidimus, est « sancta Ecclesia », « ibi sunt trophya Apostolorum », ibi « Christi vera confessio et ab Apostolis praedicata fides ». Romanus Pontifex est Petri successor, ideo in dubiis fidei, in angustiis ex longinquuo Oriente ad eum confidenter recurrit: « Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collitus, indiscissam Domini tunicam, et desuper textam, minutatim per frusta discerpit et Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent difficile, ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi cathedram Petri et fide apostolico ore lau-

¹ Chronicon, lib. II. P. G., 19, p. 559; Historia ecclesiastica, lib. II. P. G., 20, p. 171, 207.

² De praescriptione, cap. 36. P. L., 2, p. 58-59.

³ Apud EUSEBIUM, Hist. Eccl., III, 1. P. G., 20, p. 215.

⁴ Adversus Haeres., III, 1. P. G., p. 848.

⁵ Epist. ad Romanos, cap. 4. P. G., 5, p. 807.

⁶ Epist. I ad Corinth., cap. 5, 6. P. G., 1, p. 218.

datam censi consulendam; inde nunc meae animae postulans cibum unde olim Christi vestimenta suscepit ».¹ Propter Romanum Petri episcopatum, in Romana Ecclesia immaculata servatur fides; propter hoc ad Damasum papam scribens dicit: « Apud vos solos incorrupta Patrum servatur fides... Vos estis lux mundi, vos sal terrae, vos aurea vasa et argentea ».² Propter hunc Romanum Petri episcopatum, cum Romano Pontifice, Petri successore, necesse est omnibus communicare, nam qui cum ipso non communicant, naufragium salutis aeternae patientur: « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri, consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit, regnante diluvio... Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est ».³

Sic ergo S. Doctor etiam nunc post tot saecula tela illorum retundit qui, odio perciti in Romanam Ecclesiam, ausi sunt negare S. Petrum Romae fuisse et huius Ecclesiae episcopatum gessisse; simulque post tot saecula incessanter admonet omnes ubique fideles semper et firmiter adhaerere Romanae Ecclesiae, quae est cathedra Petri, columna veritatis.

AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

¹ Epist 15 ad Damasum. P. L., 22, p. 355.

² Ibid., 1. c.

³ Ibid., 1. c.

Temporis officium solertia ducere certi est,
Dum dolor in cursu est, dum petit aeger opem.
At quam longa dies sedavit vulnera mentis,
Intempestive qui movet illa, novat.

OVID., Pont., IV, 2.

LATINAE EPISTOLAE AD AMICUM

IV.

Quomodo instituenda latinae linguae Academia.

Libentius ad te litteras mitto. Eas te minime fastidire novi; quinimo negotium ago quod tibi valde cordi est. Quid igitur volo? Academiam linguae latinae. En titulus fronti aedium inscribendus: ACADEMIA LINGUAE ROMANAE PROVEHENDAE.

Cur id volo? Quo latinae linguae vita non solum perfectior sit, sed ut ea excultis hominibus utriusque continentis eviderter appareat, quo unionis, inter illos saltem, vinculum perutile constituatur.

Quomodonam facinus aggrediendum? Non propere. Moderatio enim cum constantia coniuncta hoc habet, ut ad exitum perducat res, et firmitas eam consequatur. Festina lente aiebant veteres; idque praesertim confirmat illud: *Nil violentum durabit*. Uno verbo; si non erit propere, erit prospere. Ex humili loco ad medium veluti contignationem palatii assurgat Academia. In militia pariter, tirocinio expleto, miles ad ardua paratus invenitur.

Ubinam vero illa constituenda? Nullus disputationi locus: Romae. Caput Latii Roma, suam fecit latinam linguam Roma, eamdemque aluit, ditavit, propagavitque toto orbe terrarum; magnificentiam praeterea illi communicavit magnitudini imperii romani parem eaque dignam, divinae religionis christianum nomen invenit. Urbis monumenta et Romae et romanae linguae monumenta sunt.

Ast Academiae incrementum homines postulat et auctoritatem. Quadraginta academici eligendi ex diversis nationibus, ex Italia praesertim exque romanis Europae populis occidentem romanum incolentibus.

¹ P. L., 27, p. 449.

His americanae nationes addenda, quum sint a romano occidente progenitae: ipsa etenim Anglia ad romanum imperium quatuor saltem saeculis pertinuit Hibernia tamquam Angliae filia, Romae nepos habenda, a qua multum subsidii Academia sperare poterit.

Sede igitur ampla indiget Academia, scilicet aula ad congressus habendos, theatro ad publicas vel literarias vel comicas exercitationes latinas, minoribus aulis et cubiculis ad praesidis ceterorumque officialium munus idoneis, sed in primis bibliotheca ad latinitatis opera quamplurima excienda apta. Conclavia prope ianuam ad visitatores admittendos ne desint, et quod ad servitia diversa spectet atque aedium munditiam provisum sit abunde.

Quibus auxiliis haec omnia comparari poterunt? Debita contrahenda consulem? Nullo modo. Aes alienum acerba servitus.

Scio equidem multos hanc non timere servitatem. Non laudo, imo reprehendo. Quid igitur suadeo? Ante quam opus agrediare, opes ad hoc quaere. Academiae praeses cum suis consultoribus rem proponat divitibus, magis in romano occidente notis. Per viros ad hoc munus idoneos petat a latinarum seu romanarum nationum rectoribus auxilia, vel menstrua, vel annua, vel extraordinaria. Constans sit et patiens, encyclicis litteris prudenter usus. Interim collecta pecunia in nummaria mensa deposita augēbitur fructibus, et novis donationibus excrescit. Quando autem sumptui construendae domus pecunia par esse videatur, tunc constructionem aedium aggredere, supposita gnavi architecti delineatione et approbatione consilii.

Verum quae ad orientem romanum nationes pertinent quis ab Academia latina adeunda prohibere velit? Vindobona etenim et finitiae gentes, Bavaria et Pannonia idque praesertim Dalmatia, Transylvania et Romania coloniae romanorum iure appellantur. Eadem igitur ad latini

sermonis cum honore advocandae, pariterque ad contributum invitandae.

Iam satis. Alia, eaque meliora tibi prudentia suggesteret et amicorum, quorum maxime Latii cultus et os interest, solertia. Vale.

P. SPINA.

EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano.

Accepimus, et libenter edimus:

Pridie idus apriles MCMXX in conventu Ordinis Litterarii regiae Academiae Disciplinarum Nederlandicae a iudicibus ita est relatum de triginta octo carminibus, quae ad tempus iis erant tradita an. MCMXIX.

Septem carmina statim sunt reiecta:
10 *In Virginem perdolentem*, 12 *Pristina me meminisse iuvabit*, 25 *Matris praecpta*, 27 *Medicus et magister*, 31 *Cum legerem Paradisum Dantis*, 32 *Arminius*, 33 *A Caporecto ad Victorium Venetum*.

Etiam tria seposita sunt, etsi paulo meliora esse videbantur: 22 *Ioca et seria*, 23 *Mater ad dulcem natum*, 24 *Valetudo*.

Praeterea haec quindecim luce publica digna non visa sunt: 1 *Poena*, 4 *Monstrum horrendum*, 5 *Volsinii urbis veteris aedis Cathedralis*, 7 *Omnia vincit amor*, 11 *Stabat mater dolorosa*, 15 *Ad scribam ab epistulis*, 16 *Anxia nox*, 17 *Leo XIII Pontifex Maximus*, 19 *Sibylla Cumana*, 20 *Cyclops*, 21 *Mense agosto*, 29 *Aeris sacri voces*, 30 *Callisthenes*, 34 *Religio solatrix*, 35 *Inarime*.

Magis placebant sex carmina, quae tamen post breviorem longioremv dubitationem in volumen sumptibus legati edendum recipi non poterant: 6 *Kitchener*, 14 *Aedituus*, 18 *Lacrimarum obsequium*.

37 *Insula pithecorum*, 38 *Levita Stephanus*, 13 *Telemachus*, e quibus carmen decimum tertium laudabile esset, nisi aliquot vitiis metricis laboraret.

Restant septem carmina egregia, quorum poëtae animi affectus et sensus verbis vere Latinis versibusque pulchris et numerosis expresserunt, quae ita hīc enumerauntur, ut adscendatur ad optimum: 3 *Pus vaccinum*, 2 *Maternus amor*, 36 *Persianum funus*, 9 *Amedei V laudes*, 8 *Somnus hibernus*, 28 *Politta*, 26 *Ultimi Tibulli dies*.

Itaque carmini, quod inscribitur *Ultimi Tibulli dies*, cuius poetam esse

FRANCISCUM SOFIA-ALESSIO

Radicenensem aperta scidula apparuit, praemium aureum est adiudicatum. Praeterea sumptibus legati hoc ordine post illud in volumen recipientur haec carmina, si poëtae eorum scidularum aperientarum ante kalendas iulias veniam dederint: *Politta*, *Somnus hibernus*, *Amedei V laudes*, *Persianum funus*, *Maternus amor*, *Pus vaccinum*.

**

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina Latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta sumptu suo *ante kalendas ianuarias* anni proximi mittant ad *Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen*, *Trippenhuis*, *Amsterdam*, munita sententia item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit si poëtae in transscribendo portable prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt, ac si, quemadmodum in *editionibus* poetarum Latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, simulac scidulae aprienda venia dabitur a poëtis. *Id autem ante kalendas iulias fieri debebit*: tum quoque tabellarii nostrates sic sunt edocendi: *Aan het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen*, *Trippenhuis*, *Amsterdam*.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense aprilis pronuntiabitur, quo factō scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, kal. maiis, MCMXX.

C. SNOUCK HURGRONJE
Ord. lit. acad. reg. praeses.

Clarissimo socio nostro FRANCISCO SOFIA-ALESSIO ob meritum iterum aurei nummi honorem in certamine poëtico superioris anni MCMXIX, etiam atque etiam intimo ex animo gratulamur.

Nox terroris plena¹

*Eiquid id est? Fessum quis me, requietis egenum,
excussit mediā sub nocte? Cales-ne potenti,
Dave, mero, sonnos qui sic abrumpis heriles?
Annon, hesterno confectus paene labore,
te monui, ne me nisi claro sole citares?
Sol ubi nunc? obcaecat adhuc nox atra fenestras;
i, scelus, i procul hinc! cras eiiciere... Sed ecquid,
ecquid id est demum? Vehementius en ego rursus
excutior, simul et conclave domusque vacillant.
O Deus! horribili quassatur terra tremore.*

¹ Recens adhuc memoria viget horrendorum terrae marisque motuum, quibus excussae, florentissimae urbes Messana et Rhegium una nocte magna ex parte subversae sunt, cum ingenti incolarum excidio.

*Desitio pavidus lecto, raptimque lacernam
iniciens humeris, nutante exire cubilli
conor, vixque mihi reperitur limen hiatque.
Ut trepidat paries, cui forte innitor eundo!
Ut me decidua ferit undique calce lacunar!
Ut scalae crepitant, calcatae vel pede nudo!*

*Grates sint Superis! sub dio denique sospes
respiro; via lata mihi multisque patescit
vicinis, quos attiguis erumpere tectis
confertim video; quorum, perculsa pavore,
pars obmutescit, pars tota fauce quiritat.
Horum dux, loca tuta peto; mediosque tenemus
prudenter callas, lapsans ne tegula quemquam
offendat, pariesve ruens nos opprimat omnes.*

*Dum gradimur, gemitus ululibus audio mi-
xtos,
imae quos cellae reddunt summaeque diaetae.
« Civibus, o cives - clamatur - ferte benigni
auxilium miseris, quos cancer detinet atrox;
caecis in caveis tabescimus, exitus unde
nullus adest, ubi pulvereus nos enecat aer ».
Eiulat, hos inter, rauca sic voce danista:
« O aliquis male me pereuntem servet, et arcam!
Servet, et aureolis erit illi farta crumena ».
Tectis ex aliis clamor muliebris amicam
poscit opem: « Sum mater - ait - natique tenelli
mecum sunt bini, camera labente sepulti.
Me trabs oppressit, fugit et cum sanguine vita,
at pueros, quos illaesos moritura relinquo,
o servate pii! Deus et vos servet in aevum! ».*

*Aedes interea quassas incendia passim
invadunt, animosque novis terroribus implent.
Desperata sonant medios lamenta per ignes,
altisque e podiis in saxea strata viarum
praecipites se dant ululant, iamque silescent.
Flens ego praetereo miserorum corpora, quorum
heu! cerebro via trita mihi madet atque cruore.
Moverat in reliquos par me miseratio fratres,
quos prius audieram gemebundas tollere voces.
Verum nescio quo mea brachia, prompta iuvare,
fato torperent, extemplo viribus orba.*

*Turritum circa templum spatiosa patebat
area, quo civis contendit quisque superstes.
Aedes ante sacras sistunt, ubi, poplite flexo
sublatisque pie geminis ad sidera palmis,
solvit quisque Deo de vita sospite grates,
culpas quisque suas lacrimis agnoscit obortis
ac veniam supplex implorat voce dolenti.*

*Quos olim cives odium mutarat in hostes,
hos hodierna dies in fratres vertit, amico
qui nunc alloquo se complexuque salutant.
Mores quisque suos pravos eiurat: honestis
se dabit hinc studiis Epicuri de grege porcus,
sparget avarus opes, horrebit pocula potor,
furque libens res furtivas cum foenore reddet.
Aurea sic terris redit, aethere lapsa sereno,
aetas, atque novus saeclorum nascitur ordo.*

*Laetis haec oculis spectacula grata tuebar,
cum subito, vix capta mihi, turbata fuere
gaudia. Concuditur rursus, vehementius icta,
area cum templo, tonitrusque videtur ab imis
terrae visceribus prorumpere, cumque fragore
corruit immenso fani celissima turris.*

*Horrens evigilo, madidus sudore et anhelus,
ut quem mole gigas Ephialtes¹ presserat atra.
Adstupo primum, circumspicioque cubile;
nilque videns ibi mutatum, nec corporis ullo
laesus in articulo, salvo mihi gratulor ipsi.
Cooperat exoriens sol arridere fenestrar,
quo viso, fugere procul phantasma tetra.
His autem spectris dederat feralibus ortum,
nuper lecta mihi, Messanae dira ruina.*

FRANC. XAV. REUSS.

¹ Ephialten poëtae finixerunt immanni corpore gigantem; quo etiam nomine designant medici incubum, i. e. morbum, quo dormientes vi quadam opprimi se sentiunt et paene suffocari.

MIRAE SIDERUM RES

Antequam ad ultimam quaestionem venio, de numero scilicet siderum, quae veri sunt atque maximi mundi in caelis vagantes, te, candide lector, monitum volo, ne me credas somniantem somniare. Vera narro, sed proculdubio, incredibilia atque merito

Somnia, quae veras aequent imitamine formas!

¹ Cf. num. sup.

Namque haec caelestia lumina, quae praeter omnium opinionem grandiora sunt atque formidolose prope distantia, multorum modo annorum spatio ac diffisi cursu ad nostros denique oculos perveniunt. Sit in exemplum stella Centauri alpha quae dicitur, et nobis vicinior. Haec, quatuor et amplius annos insumit, prius quam a nobis conspici possit. Et iuvat animadvertere, ipsam ter centies milia chilometrorum singulis horae momentis, quae minuta secunda vulgo dicuntur, peragere! Atque adeo a nobis distat quadraginta tria ter centies millia chilometrorum. A qua, inquam, distantia a nobis sunt stellae, quarum splendor ad nos saltem pervenit post centum annos?

Quae quum ita sint, haud abs re David, rerum caelestium magnificentia adlectus, Deique spiritu afflatus, exclamavit: « Caeli enarrant gloriam Dei et opera manuum eius annuntiat firmamentum ».

Et nostra fere aetate Ioannes Keplerus, quum caelum amore artis diligenter adspiceret, quasi in oratione esset, detecto capite, et tacitus sidera perlustrare consuevit.

Compellant, cur ita faceret, comis respondit: « Quum cursus stellarum, caelumque immensum curiosius investigo, tot rerum multitudine ac praestantia commotus, maximum omnium carmen Deo immortali pangere videor. Omnia enim sidera, cunctaque stellarum systemata, quae admirantibus oculis, aliquando nocturno tempore intuemur, quid sunt si cum ceteris stellis, oculis nostris effugientibus, nos componere velimus? Haec nostra terrarum moles erit parvula tellus, quam tenues atomi compage minuta consti-
tuunt, et mentem Creatoris magnam arguant et insignem profitentur ».

I. B. F.

Magna est illecebra peccandi impunitatis spes.

Cic., pro Milone.

EX ITALIS URBIBUS

Augustae Taurinorum insigne monumen-
tum ponitur in honorem et memo-
riam Ioannis Bosco Sacerdotis.

Labente mense Maio, in area ante aecl. Augustae Matri dicatam, sub titulo Mariae Adiutricis, monumentum inaugu-
ratum est, quod Ioanni Bosco, insignis sanctitatis Viro, alumni disciplinae sua, amici, admiratores, aere conlato, insculpi decreverunt. Incredibilis fuit civium adveniarumque concursus, qui, adclamantibus universis ordinibus, non modo ab Italia, sed a cunctis orbis terrarum regionibus, huic veluti agmine composito convene-
runt.

Quid dicam de optimo itemque immor-
tali viro, qui nuper, ob egregia facinora in iuventutis omnium gentium commodum patrata, nomine ubique percrebuit, in innumeris paene pueros ad religionem, ad litteras atque ad artes mansuetiores sublimi suavitate excoluit?

Aliquid vero si quis ad eius laudes ad-
dere praesumat, mea quidem sententia de-
cerpsisse sciatur. Ipse enim, ut olim Romae Sanctus Philippus, dulcedine alloquii ac sanctitate morum, quos identidem saepe per urbem Taurinorum vagos offendebat, divina propemodum caritate colere in deliciis habuit, eorum mentes verbis tenere pectusque pervadere, et voluntates quo vellet impellere, atque ita sibi benevolentia ac bonitate devincere consueverat, ut eum semper uti parentem haberent atque in oculis ferrent.

Ei vix e vivis eretto, voluntas omnibus fuit monumentum ponere, ut ita signum publicum sui grati animi aliquod exstaret. Ut autem quisque egregii ingenii artifex excellentissimum Virum expromere posset, certis quibusdam positis conditionibus publice certamen indictum fuit. Prae cete-

ris, iudicium sententia, Caietanus Cellini, domo Ravenna, prior exstitit.

Omnis monumenti actio sic se habet. Eminentiori loco, in basi lapidis syenitis, stat imago principalis, quae mirum in modum suavem Ioannis Bosco effigiem refert. Ad laevam eius partem puer adest, qui oculos ad caelum vertens, pietatem, fidem optime promit, quam sanctissimis eius placitis atque exemplis insistens, fidissime excoluit. Quam pulchre! Hic bene notos pueri sancti puer induit vultus!

Ad dexteram atque ad eius pedes pro voluta stat infelicissima mater, quae, largo humectans flumine vultum, puerum suum patri orphanorum alendo educandoque praebet. Namque Ioannes Bosco singulari in pueros liberalitate spectandus, per omnia operum genera eos ad pietatem atque ad cultum bonarum artium adduxit. Omnes quoque circum statuae positae, aere mirifice comflatae, ex auctoris voluntate, cunctas viri virtutes, egregie in unum conspirantes exprimit. Haec ad religionem animarum cultum, illa caritatem erga miseros effingit, et omne simul una veluti voce immortalem virum praedicant.

Haec cuncta aera mollius veluti spirantia excudit.

Non sibi modo auctor monumentum excupsit, sed patriae, ac proinde:

Multa viri virtus animo multusque recurrit gentis honos;

et omnes cives advenaeque opus immortale admirantur, laeti ac libentes gratulantur egregio viro, et merito plaudunt.

I. B. FRANCESIA.

Magis cogitare debemus quid nobis desit, quam quid nobis adsit. Quod habes, cave ne perdas. Quod nondum habes, supplica ut habeas.

AUGUSTINUS, Serm. LIX.

COMMUNIA VITAE

Nomina virorum atque mulierum propria.¹

Gabriel (et vulgo Gellus, Gellius) - Hebr. - Fortitudo Dei.

Galeatus (Galeottus) - Graec. - Miles galeatus.

Galganus (et vulgo Galvanus, Ganus) - Teut. - Iuvenis potens.

Galilaeus - Hebr. - Instabilis.

Gallicanus (Lat.) - Ex Gallia.

Gandulfus (Gangulfus, Gandolfs, Gai golfs; idemque Agilulfus et Wolfgangus) - Teut. - Adiutor iuvenis.

Ganymedes - Graec. - Laeticus.

Garibaldus - Vid. Gerardus.

Gasto (Gaston) - Teut. - Potens.

Gaudentius - Lat. - Laetus, Hilaris.

Gaugericus - Teut. - Strenuus bellator.

Gedeon - Hebr. - Confringens.

Gelasius - Graec. - Ridens.

Geminianus (Geminus) - Lat. - Congeneratus.

Generosus - Lat. - Nobilis.

Genesius (et etiam Guinigius) - Graec. - Generatus.

Gensericus (Gisericus) - Teut. - Potens et Fortis.

Gentilis - Graec. - Ex eadem stirpe.

Gerhardus (Gherardus, Gerinus, Gadius, Galdus, Galdinus, Gerboldus, Garibaldus, Guarimbaldus) - Teut. - Pugnator fortissimus

Gerbertus (Caribertus, Carobertus, Gauribertus, Geripertus) - Teut. - Pugnator celeber.

Gerbrandus - Teut. - Miles illustris.

Gerildes - Teut. - Nobilissima.

Germanus - Teut. - Vir belli peritus.

(Ad proximum numerum). I. F.

¹ Cf. num. sup.

ANNALES

Post bellum ...

In superiore recensione nostra discri men attigimus inter Angliam et Galliam de Ruhr fluminis Germanica regione, addentes per « modum vivendi », quem nuncupant, ipsum fuisse pro tempore compositum. Iudicium extremum a proximo consociatorum conventu, qui Spa in urbe congregabitur, cui et Germanici legati intererunt, edicetur. Interim vero Germaniae legiones ultro illuc missae reductae sunt, et Galli Francofurtum aliasque circa Moenum urbes occupatas dereliquerunt; resque ita feliciter eo rediere, ubi ex Ver saliens foedere constituae fuerant.

Galli insuper foedus cum Austria, ad S. Germani oppidum ictum, ratum habuere, unaque cum ceteris victoribus nationibus pacis pactiones Turcarum imperio notificarunt, quod tempus ad deliberandum sibi sumpsit. Profecto non est dubium quin serius ocios iis subscriptat; non tamen cum civitatis remissione. Nationalistarum enim factio cum Arabis ipsisque bolsceviciis societatem feriit, rebellionem in Anglos praesertim laturi; iamque minorem Asiam dictitant sub vexillo novi Angorensis gubernii colligi, quo ductu exterminii seditionem praenunciant; eam immo in Palae stina iam coptam esse. Ordo enim ab Anglis ibi impositus ferocibus, Araborum praesertim, in Hebraeos aggressionibus est turbatus, atque incendium ad ipsam Persiam pervenit ac Trapezuntium minatur. Quid, si Mahumetanorum pro cursio ultra refluxerit? Profecto ludus terribilis in Oriente luditur.

In Russia.

Neque obscurae minus Russicae res. Hinc Poloni, Iaponii inde, aspera bolshevikis agminibus irrogarunt; nec plane novimus quid tum Petrogradi tum Moscuae acciderit. Sunt qui asserant bolsce-

vismum in dissolventi opere suo beate procedere; sunt ex adverso qui perhibent ipsum ad occasum vertisse Leninumque, eius factionis principem, per militum vim prioris regiminis more regnare. Praeterea Odessam urbem ab Ukrainis receptam, et in Bessarabia conflictationes cum Bulgariis ortas; ipsaeque Denikiniani exercitus reliquiae in lucem redeunt; eaeque dicuntur, nescio quanam vice, in « sovietanarum » copiarum ditionem venisse. Certe Leniniensis gubernii legatus Kras sin Londinium tenuit cumque supremo Anglorum administro plura habuit colloquia; sed eorum quoque argumenta in obscuris latent.

**

In Mexicana republica.

In Mexicana republica vetus illud cer tamen cum praeside quondam Carranza, suppicio huius discussum est. Sit saltem hic sanguis piaculari lavacrum, non quidem novorum civilium bellorum causa!

**

Ex aedibus Vaticanis.

Inter tot universi orbis permanentes adhuc convulsiones, pharus perlucens ex Vaticano semper micat. Inde verae pacis vox iterum insonat, animique hominum, terram repentes, ad caelestia eriguntur. Sollemnia praesertim, die xvi mens. Maii acta, ob sanctorum honores Aurelianensi virgini Ioannae de Arc tributos, non spiritualem tantum sensum praetulerunt, sed civilem quoque: iterum enim vidimus ad Petri solium Galliam filiam dilectissimam redeuntem, non modo per cives suos innumeros, qui Romanum petierunt, sed et per gubernii legationem et manipulum senatorum populariumque publici coetus oratorum.

Quod faustum, bonum, fortunatumque siet!

Kalendas Juniiis MCMXX.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Eheu! quem incolimus terrarum orbis angustior in dies fit, et res, cui ne recentis quidem belli clades remedium attulit, non paucos anxios agit. At fausto auspicio succurrunt tandem Americani viri scientiae periti, in primisque Edison eiusque laboris socius Georgius Orrick; qui in id hodie contendere dicuntur, ut Iulii Verne et illud quod videbatur somnium re perficiant, **iter a Terra ad Lunam.**

Qui quidem doctissimi viri cogitarunt ulterius iusto a luna minime repeti, quum quaeratur ut hospitio recipiat homines, qui in hoc orbe nimis pressantur. Evidet enim? Nonne luna pars erat terraue nostri orbis, ac voluit sese ab ipso distrahere nutuque suo circumvolvere, terrae relinquens officium, ingratum profecto, ut fieret acies, in qua viventium genus bellis certaminibusque omnis generis per saecula dilaceraretur, et in vitae angustiis cruciatibusque perpetue iactaretur? Dum autem terra incommoda huiusmodi patitur, luna, sanguis ex eius sanguine, caro ex eius carne, eam placide, imo quasi irridens, nunquam non intuetur. Atqui, si terrae pars luna est, ut terrae ei profecto aer, aqua et lux esse debent; - quinimo lucis tantum habet, ut et ad collustrandam aliquatenus terram, repercutere eam valeat - et facultas profecto miseris nobis mortalibus facienda est ut in ipsa optime vivamus nos et res nostras in ipsam inducentes, exempli gratia et coetum publicum legibus ferendis, et socialistarum factio nem cum suis laboris domibus atque inde manantibus opificum ab operibus suis desertionibus, et vectigalia, acta diurna ceterasque passim delicias huiusmodi.

Igitur ut ad lunam iter pararetur, Edisonus et Orrickius « torpedinem animata » invenerunt, aërei siluri quoddam

genus, helice actum, quae in munere suo perstabit vel praeter aërem nostrum, dum interplanetaria spatia percurret. Omnia insuper praeviderunt auctores, ne machina, quum extra vim terrestris attractus pervenerit, vagatura et ipsa suo nutu sit, aliaque petat sidera; neve, quum a luna vicissim attrahi possit, id violenter fiat: lenis ex adverso, pedetentim, et ex commodo, ut locum opportunum magis ei consequi liceat.

Siluri autem in interior parte erit diaeta optime instructa ad vitae necessitates: itaque et promptuariae cellae ad provisiores omnis generis pro itinere in longum tempus asservandas.

Namque iter ad sex prope menses computatur; ita ut itus redditus infra annum absolvi queat.

Quid ultra? Et viator enim in promptu est: italus quidam Baltimora in urbe nunc commorans, Camillus Baucia, musicae artis magister in Americis notissimus, ob eius quam nuncupant « perpetuas symphonias ». Scilicet concentus sine intermissione ita moderari ille valet, ut olim per horas quadraginta quattuor supra ducentas musicam sessionem perduxerit.

Profecto vir alias nullus ad rem opportunitior inveniri poterat. Evoe!

**

Sed quia de **luna** hodie sermo est, ne lectores meos pigeat, quod sequatur pagina in qua ipsam Plinius eleganter describit: iuvat enim aliquando veterum scriptorum exemplar mentibus nostris subiucere. Est in libro II *Nat. hist.* c. IX: « Sed omnium admirationem vincit novissimum sidus, terrisque familiarissimum et in tenebrarum remedium a natura repertum, luna crescens semper aut senescens. Et modo curvata in cornua, modo aequa portione divisa, modo sinuata in orbem: maculosa, eademque subito praenitens; immensa orbe pleno, ac repente nulla: alias sera, et

parte diei solis lucem adiuvans; deficiens, et in defectu tamen conspicua; quae mensis latet, quum laborare non creditur. Iam vero humilis et excelsa, et ne id quidem uno modo, sed alias admota caelo, alias contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros deiecta. Proxima ergo cardini, ideoque minimo ambitu, vicenis diebus septenisque, et tertia diei parte peragit spatia eadem, quae Saturni sidus altissimum triginta annis... ».

**

Neque pigeat denique de **philomela parvum carmen** legere Marci Bettini, saeculi XVII latini poëtae, quod alter ex anonymis meis ad me misit, ut in hoc *Vacui temporis horae* capite ederem: erat autem mihi officium humanissimo illi viro morem gerere:

Audin iliceis abdita ramis
Ludit ut vario garrula cantu
Auresque blandum philomela mulcet?
Omnes una gnara vocum
Artifici concentus
Emodulatur ore.

Modo continuo lento tenore
Extento trahitur vocula cantu:
Modo conciso properata saltu
Seque frangit, seque carpit,
Inflexa variatur,
Intorta copulatur.

Trepidis auxia faucibus errat,
Gravis immurmurat pectoris antro:
Nunc premitur, nunc libera citato
Cursu fertur, nunc libratur,
Nunc tremulo garritu
Argutula vibratur.

Saepe languidulo blandula flexu
Velut emoritur, velut exsurgens
Saepe ridenti gutture lascivit,
Fugit, redit revocata,
Nunc placide respirat,
Nunc musice suspirat.

Modo gementibus aegra susurris,
Modo rotatili vagula gyro
Erratque, volviturque, necditurque,
Nunc elata, nunc dimissa
Zinzilulat, fritillat
Secumque minurissat.

**

Ioci.

Tuccius a patre ad amicum quandammittitur pecuniam latus. Cui amicus:

— Dicas patri tuo ex mea parte gratias, eoque magis quod ipsum filium te miserit, qui mandatum optime es exequutus.

Atque Tuccius:

— Addam imo a te nullam operis mercedem me quaevisse, siquidem pater prohibuerat quominus repeterem.

Postquam diu de hygiene loquutus est, Magister Tuccium interrogat:

— Ehus tu! Ex iis quae diximus collige qui locus sit optimus ad lac purum asservandum.

Tuccius: — Profecto vaccae uber.

**

Aenigmata.

I.

Insignis sceptro princeps vox prima; secunda
Bina notat, terna multiplicata vice.

Verte retro primam, retro quoque verte se
[cundam;

Veras in vocem contrahe, quaequo, novam.
Persarum subito cernes, mihi crede, tyran
[num,

Qui doluit quassas ad Salamina rates.

II.

Nescio mutari; recte seu lecta retrorsum
Veste virente tego tempore veris agros.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo sita his respondent: 1] Ara; 2] Ibis).

IOSFOR.

ROMA SACRA

Benedicti PP. XV Epistola Encyclica
de pacis reconciliatione christiana.

Pacem, Dei munus pulcherrimum, « quo, ut Augustinus ait, etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilibus concupisci, nihil postremo possit melius inveniri »;¹ pacem quadriennio amplius tantis et bonorum votis et piorum precibus et matrum lacrimis imploratam, tandem coepisse affulgere populis Nos equidem ante omnes gaudemus vehementerque laetamur. At vero hanc ipsam paterno conceptam animo laetitiam nimis multa eademque acerbissima perturbant; nam si fere ubique bellum aliqua ratione compositum est, et pacis quaedam conventiones subscriptae, reliqua sunt tamen antiquarum semina inimicitarum; vosque probe tenetis, Venerabiles Fratres, nullam pacem consistere, nulla pacis foedera posse vigere, quamvis diutinis laboriosisque consultationibus constituta sancteque firmata, nisi per caritatis mutuae reconciliationem odia simul inimicitiaeque conquiscent. De hac re igitur, quae maximi sane momenti est ad commune bonum, vobiscum, Venerabiles Fratres, colloqui placet ac populos item vestros diligenter commonere.

Nos enimvero, ex quo ad huius Cathedrae dignitatem arcanó Dei consilio evecti sumus, nunquam, dum bellum conflagravit, cessavimus, quacumque potuimus ope, contendere, ut quamprimum omnes orbis terrarum populi fraternalm inter se officiorum vicisitudinem repeterent. Itaque instare precibus,hortationes iterare, amicitiae reconciliandae vias proponere, denique omnia tentare, si liceret, favente Deo, ad pacem, quae iusta quidem et honesta futura esset et stabilis,

hominibus aditum ianuamque patefacere; interea studiosam paterno pectore dare operam, ut maximis omni genus doloribus et aerumnis, quae immanem dimicationem consequebantur, aliquid usque quaque levationis afferremus. Iam vero quae Nos ab initio tam difficult Nostrum Pontificatus impulit Iesu Christi caritas vel ad elaborandum pro pacis reditu, vel ad horrores belli mitigandos, eadem hodie, cum pax aliqua tandem aliquando convenit, urget nos ut omnes Ecclesiae filios atque adeo hominum universitatem hortemur, velint diuturniora iam odia abiicere ex animis, concordiamque suscipere mutuumque amorem.

Nec sane est cur multis demonstremus generis humani societatem maximis affectum iri detrimentis si, pace conventa, obscurae tamen gentium inter gentes inimicitiae simultatesque perseverarent. Mittimus damna earum omnium, quibus civilis vitae progressio alitur et promovetur, ut mercaturis, ut opificiis, ut artibus, ut litteris, quae quidem communis populorum consuetudine ac tranquillitate vigent. At, quod maius est, gravissimum vulnus acceptura esset christiana vita ratio ac forma, cuius vis omnis in caritate consistit, cum ipsa christiana legis praedicatio *Evangelium pacis* appelletur.¹

Etenim, ut scitis et ut Nos pluribus alias commemoravimus, nihil tam saepe tamque vehementer a Iesu Domino inculcatum est discipulorum auribus, quam hoc de mutua caritate praeceptum, utpote quod cetera completeretur omnia; idque et novum Christus ipse nominavit et suum, et christianorum tamquam insigne voluit esse, unde internosci ab aliis facile possent. Denique iam moriens id ipsum suis testatus est, rogavitque ut inter se diligerent ac diligendo eam ineffabilem

¹ *De Civitate Dei*, lib. XIX c. XI.

¹ *Eph.*, VI, 15.

unitatem imitari contenderent, quae divinis Personis est in Trinitate: « Ut omnes unum sint... sicut et nos unum sumus... ut sint consummati in unum ».¹

Ergo divini Magistri vestigia sectantes Apostoli, eiusque voce ac praeceptis probe conformati, mirificae sedulitatis erant ad fideles ita cohortandos: « Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes ».² « Supra omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis ».³ « Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est ».⁴ Bene autem monitis obsequebantur et Christi et Apostolorum illi priscorum temporum fratres nostri: qui quidem, etsi alii ex aliis contrariisque inter se nationibus erant, tamen discordiarum memoriam voluntaria oblivione delentes, concordissime vivebant. Et vere cum mortalibus iniiciiis, in societatis humanae sinu tum flagrantibus, mirandum in modum tanta mentium animorumque consensio discrepabat.

Iam quae modo allata sunt ad praeceptum mutui amoris urgendum, eadem ipsa valent ad oblivionem iniuriarum: nec minus affirmate id praecepit Dominus: « Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persecutibus et calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est: qui solem suum oriri facit super bonos et malos ».⁵ Hinc illud gravissimum Ioannis Apostoli: « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem ».⁶ Denique sic a Christo Domino instituti sumus ad Deum orandum, ut profiteamur ita nos nobis velle ignosci, si aliis ignoscamus: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ».⁷ Quod si huic obtemperare

¹ *IOAN.*, XVII, 21-23.

² *I PETR.*, IV, 8.

³ *Coloss.*, III, 14.

⁴ *I IOAN.*, IV, 7.

⁵ *MATTH.*, V, 44-45.

⁶ *I IOAN.*, III, 15.

⁷ *MATTH.*, VI, 12.

legi nimis aliquando est arduum et difficile, adest ad omnem submovendam difficultatem divinis humani generis Redemptor non solum opportuno suae gratiae auxilio, sed etiam suo ipsius exemplo, qui cum in cruce penderet, eos, a quibus tam iniuste indigneque torquebatur, Patri excusans: « Pater, — inquit, — dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt ».¹ Nos igitur, cum misericordiam benignitatemque Iesu Christi, huius, quamvis nullo merito, vicem gerimus, sequi ante omnes debeamus, ipsius exemplo, inimicis Nostris quicumque, scientes imprudentesve, personam operamve Nostram quibusvis contumeliarum aculeis vel lacerarunt vel lacerant, universis et singulis toto pectore veniam damus, omnesque summo studio ac benevolentia complectimur, nullum etiam praetermittentes locum eosdem benefactis pro Nostra facultate cumulandi. Quod ipsum christiani homines, qui hac sint appellatione digni, faciant oportet erga eos qui se, tenente bello, iniuriis affecerint.

Neque enim eo contenta est christiana caritas ut non inimicos oderimus atque ut eos fratrum loco diligamus, vult quoque et benigne eisdem faciamus, vestigiis insistentes Redemptoris nostri, qui « pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo »,² et mortalis vitae cursum, quem totum maximis in homines beneficiis emensus erat, profuso pro iisdem sanguine consummavit. Quare Ioannes: « In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animam ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauerit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ».³ Nunquam vero amplius « dilatanda spatio charitatis » visa sunt, quam hisce ipsis diebus, in summis nempe angustiis quibus premimur omnes ac laboramus:

¹ *LUC.*, XXIII, 34.

² *Act.*, X, 38.

³ *I IOAN.*, III, 16-18.

neque alias fortasse unquam hominum generat opus fuit, quam hodie communis beneficentia, quae a sincero aliorum amore nascatur plena sit devotionis et alacritatis. Etenim si circumspiciamus quacumque per vagatus est bellicus furor, immensi terrarum tractus obiciuntur ubi solitudo et vastitas, ubi inculta et relicta omnia; redactae usque eo plebes ut victu vestitu tectisque ipsis careant; viduae orphanique innumerabiles, qui cuiuslibet opis indigent; incredibilis multitudo debilium, infantium potissimum ac puerorum, in affectis corporibus testantium belli huius atrocitatem.

Has tantas miserias contemplanti, quibus premitur humanum genus, sponte venit in mentem viator ille evangelicus,¹ qui, descendens ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones, a quibus despoliatus, plagiisque impensis, est semivivus relictus. Magna enim est inter utrumque similitudo; et quemadmodum ad illum, misericordia motus, Samaritanus accessit, qui, alligatis vulneribus, infusoque oleo et vino, duxit eum in stabulum, et curam eius egit: ita ad sananda humanae societatis vulnera manum suam adhibeat oportet Iesus Christus, cuius quidem Samaritanus ille personam sustinebat.

Iam hoc opus et munus tamquam proprium sibi Ecclesia vindicat, quae Iesu Christi spiritum custodit, ut haeres; Ecclesia, inquit, cuius omnis vita mirabilis beneficiorum varietate contexitur: ipsa enim «mater christianorum verissima, proximi dilectionem atque charitatem ita complectitur, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis aegrotant, omnis apud ipsam medicina praepolleat»: unde «pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exercet ac docet». ² Haec autem christiana beneficentiae officia animos permulcendo, incredibile

est quam sint tranquillitati publicae restituenda conducibilia.

Quare, Venerabiles Fratres, oramus et obsecramus in visceribus caritatis Christi, omni studio ac diligentia in hoc incumbite ut, quotquot habetis vestrae mandatos curae, eos non modo ad odia deponenda iniuriasque condonandas excitatis, sed efficacius etiam ad ea omnia christiana beneficentiae instituta provehenda impellatis, quae sint subsidio egenis, solatio maerentibus, monumento infirmis, denique omnibus qui bello maximas iacturas fecerint, opportunam varii generis opem afferant. Praecipue vero volumus sacerdotes hortemini, administri qui sunt christianae pacis, ut in hac re, quae vitam christianam maxime continet, assidui sint, id est in amore erga proximos vel inimicos commendando: atque «omnibus omnia facti»¹ adeo ut ceteros antecedant exemplo, odio inimicitiaeque bellum indicant, acriterque gerant usque quaque, gratissimum facientes et amantissimo Iesu Cordi, et ei, qui vices ipsius in terris, quamvis non digne, sustinet. Quo loco admonendi sunt etiam vehementerque rogandi catholici homines, qui scribendis vel libris vel commentariis vel diariis dant operam, velint «sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignantatem»² induere eamque scribendo exprimere, non modo a falsis vanisque criminationibus abstinentes, sed etiam ab omni violentia contumeliaque verborum, quae quidem cum christianae legi contraria est, tum male obductas refricare cicatrices dumtaxat potest, cum praelestum recens a vulnere animus sit vel levissimi attactus iniuriarum impatientior.

Quae vero hic de colendae caritatis officio singulos admonemus, eadem ad populos diutina belli contentione perfunctos volumus pertinere, ut, amotis, quantum fieri potest, dissidiorum causis, - et salvis utique iustitiae rationibus - amicitiam inter se et coniunctio-

¹ LUC., X, 30 sqq.

² Cf. AUGUSTINUS, *De moribus Ecclesiae catholicae*, 1ib. I, c. XXX.

¹ I Cor., ix, 22.

² Coloss., III, 12.

nem redintegrant. Nec enim alia est evangelica lex caritatis in singulis hominibus, alia in ipsis civitatibus et populis, qui demum omnes e singulis hominibus conflantur et constant. Exacto autem bello, non ratione tantum caritatis, sed quadam etiam necessitate in universalem quandam populorum inter populos conciliationem inclinare res videntur, cum gentes naturali vinculo mutuae et indigeniae simul et benevolentiae inter se nunc maxime copulentur, hoc exquisitiore humanitatis cultu et commerciorum aucta mirum in modum facilitate.

Hanc igitur oblivionem offensionum fraternaliumque populorum reconciliationem quam Christi Iesu lex sanctissima iubet ac rationes ipsae humani civilisque convictus flagitant, haec Apostolica Sedes, cum, saeviente bello, ut supra docuimus, nunquam urgere praetermiserit, nec passa sit unquam quibusvis simultatibus odiisve oblitterari, multo nunc magis, pacis constitutis foederibus, fovet ac praedicat, ut litteris datis haud ita pridem ad omnes Germaniae episcopos,¹ alterisque ad Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem.² Quoniam vero hanc excultarum gentium concordiam tuetur multumque promovet ea, quae hodie increbruit, consuetudo, ut ad maiora negotia expedienda inter se visitent convenientque civitatum gubernatores ac principes, Nos, omnia reputantes et mutata rerum adiuncta et magnas communium temporum inclinationes, eiusdem concordiae adiuvandae causa, ne ab eo quidem consilio alieno essemus aliquid remittendi de illarum severitate conditionum, quas, ob eversum Apostolicam Sedi civilem principatum, iure Decessores Nostri statuerunt, ut catholicorum principum solemniores ad Urbem adventus coheribent. Apertissime autem profitemur hanc Nostrae rationis indulgentiam, quam humanae societatis gravissima praeter modum tempora suadere atque adeo postulare videntur, nequaquam

interpretandam esse tanquam Apostolicae Sedis abdicationem tacitam iurum sanctissimorum, quasi in praesenti, quo utitur, abnormi statu ea tandem acqueverit. Quin potius hanc ipsam Nos occasionem nacti «quas Decessores Nostri plures expostulationes fecerunt, non quidem humanis rationibus, sed officii sanctitate adducti, ut videlicet iura ac dignitatem Apostolicae Sedis defenderent, easdem Nos iisdem de causis hic renovamus», denuo graviusque postulantes ut, pace inter gentes composita, etiam «Ecclesiae Caput in hac desinat absone conditione versari, quae ipsi tranquillitati populorum, non uno nomine, vehementer nocet». ¹

Ita igitur restitutis rebus, iustitiae et caritatis ordine revocato, reconciliatisque inter se populis, optandum sane est, Venerabiles Fratres, cunctas civitates, quavis ultiro citroque suspicione remota, in unam tamquam consociationem seu potius quandam quasi familiam coalescere cum ad propriam uniuscuiusque libertatem tuendam, tum ad ordinem conservandum humanae societatis. Ad quam genium consociationem contrahendam hortatur, ut alia multa praetereamus, ipsa vulgo explorata necessitas omnem dandi operam ut, sublatis vel imminutis rei militaris sumptibus, quorum immane pondus iam sustinere respublie non possunt, nulla posthac existant tam extiossa bella, vel certe quam longissime eiusmodi periculum avertatur, et unicuique populo, cum libera potestate, sua territorii, iustis quidem terminati finibus, integritas conservetur.

Foederatis autem christiana lege nationibus, quicquid iustitiae et caritatis causa suscepient, non studium operamque suam desiderari sinet Ecclesia, quae cum absolutissimum sit societatis universalis exemplar, tum ex sua ipsis temperatione suisque institutis mirifica virtute pollet ad homines copulandos non modo in aeternam eorum salu-

¹ Litterae apostolicae *Diuturni*, die xv iulii MCMXIX.

² Epist. *Amor ille singularis*, die vii octobris MCMXIV.

¹ Litterae encycliae *Ad beatissimi*, datae die 1 novemboris MCMXIV.

tem, sed etiam in huius vitae commoditatem, sic eos nempe deducens per bona temporalia ut non amittant aeterna. Itaque, historia teste, cognovimus, veteres Europae gentes immunitate barbaras, ex quo in easdem Ecclesiae spiritus penetraverit, extenuato sensim ipsarum inter ipsas multiplici maximoque discordine sublatisque discordiis, coivisse tandem in unam eiusdem generis societatem, natamque esse Europam christianam, quae, ductu auspicioque Ecclesiae, nationum varietatem retinens, tamen ad unitatem quandam prosperitatis fautricem gloriaeque niteretur. Praecclare ad rem ita Augustinus: « Haec caelestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus, legibus institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conqueritur vel tenetur, nihil eorum rescindens vel destruens, immo etiam servans ac sequens, quod licet diversum sit in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrenae pacis intenditur, si religionem qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit ».¹ Sic igitur idem sanctus Doctor Ecclesiam alloquitur: « Tu cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines, primorum parentum recordatione, non societate solum, sed quadam etiam fraternitate coniungis ».²

Quare nos, ut eo redeamus unde initium scribendi fecimus, primum filios. Nostros, quotquot sunt, amplectentes, in nomine Domini Nostri Iesu Christi rogamus iterum et obsecramus inducant animum mutuas similitates offensionesque omnes voluntaria oblivione conterere, et christiana caritatis, cui nemo extraneus est aut alienus, sanctissimo inter se cohaerere vinculo; tum nationes universas magnopere hortamur, ut veram inter se pacem christiana benevolentiae spiritu componere velint, coeuntes in unum foedus, auspice iustitia, mansurum; denique cunctos

homines populosque appellamus, ut mentibus et animis Ecclesiae Catholicae, et per Ecclesiam Christo humani generis Redemptori sese adiungant: atque ita quibus verbis Paulus Ephesios, iisdem Nos alloqui omnes verisime possimus: « Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens,... interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuitis et pacem iis qui prope ».¹ Nec minus apte cadunt quae idem Apostolus habet ad Colossenses: « Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creavit illum: ubi non est Gentilis et Iudeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus ».²

Interea Spiritum Sanctum Paraclitum, - patrocinio confisi Mariae Virginis Immaculatae, quam *Reginae pacis* titulo ab omnibus invocari nuper iussimus, itemque trium beatorum caelitum quibus sanctorum honores proxime decrevimus - humilibus precibus exoramus, ut « Ecclesiae suae unitatis et pacis propitiis dona concedat »,³ et faciem orbis terrarum nova suae caritatis effusione renoveret ad communem salutem.

Huius auspicem divini munera benevolentiaeque Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII maii, in festo Pentecostes, MCMXX, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

¹ *Eph.*, II, 13 sqq.

² *Coloss.*, III, 9-11.

³ Secreta in Solemnitate Corporis Christi.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS. VATICANIS

¹ *De Civitate Dei*, lib. XIX, c. XVII.

² *De moribus Ecclesia catholicae*, I, c. XXX.